

- ARTICULUS I.
Utrum in cultu veri Dei possit esse aliquid perniciosum, lib. 2, cap. 1 et 2.
- ARTICULUS II.
Utrum in cultu Dei possit esse aliquid superfluum, ibid.
- QUÆSTIO XCIV.
De idololatria.
- ARTICULUS I.
Utrum idololatria sit species superstitionis, tract. 3, lib. 2, cap. 3 et 4.
- ARTICULUS II.
Utrum idololatria sit peccatum, eodem lib. 2, cap. 6.
- ARTICULUS III.
Utrum idololatria sit gravissimum peccatorum, eod. cap. 6.
- ARTICULUS IV.
Utrum causa idololatriæ fuerit ex parte hominis, eod. lib. 2, cap. 5.
- QUÆSTIO XCV.
De superstitione divinatoria.
- ARTICULUS I.
Utrum divinatio sit peccatum, tract. 3, lib. 2, cap. 7.
- ARTICULUS II.
Utrum divinatio sit species superstitionis, eod. cap. 7.
- ARTICULUS III.
De variis speciebus divinationis, ibid.
- ARTICULUS IV.
Utrum divinatio per invocationem dæmonum sit licita, explicatur, eod. lib. 2, cap. 8, 9, 10.
- ARTICULUS V.
Utrum divinatio quæ fit per astra, sit illicita, eod. lib. 2, cap. 11.
- ARTICULUS VI.
Utrum divinatio quæ fit per somnia, sit illicita, eod. lib. 2, cap. 13.
- ARTICULUS VII.
Utrum divinatio per auguria, etc., sit illicita, explicatur in d. cap. 8.
- ARTICULUS VIII.
Utrum divinatio sortium sit illicita, eod. l. 2, c. 12.
- QUÆSTIO XCVI.
De superstitionum observantia.
- ARTICULUS I.
Utrum uti observantiis artis notoriæ sit illicitum, eod. lib. 2, cap. 15, a n. 4.
- ARTICULUS II.
Utrum observationes ad corporum immutationes sint illicitæ, eod. cap. 15, a n. 8.
- ARTICULUS III.
Utrum observationes ordinatæ ad præcognoscendum, etc., sint illicitæ, eod. l. 2, c. 10, n. 4 et 5.
- ARTICULUS IV.
Utrum suspendere divina ad collum sit illicitum, eod. lib. 2, cap. 15, a n. 10.
Et ad explicationem harum duarum quæstionum per-
- tinent alia, quæ de magia disputantur, eod. lib., cap. 14, 16, 17, 18.
- QUÆSTIO XCVII.
De tentatione Dei.
- ARTICULUS I.
Dei tentatio consistit in aliquibus factis, in quibus solius divinæ potestatis expectatur effectus, tract. 3, lib. 1, cap. 2 et 3.
- ARTICULUS II.
Utrum tentare Deum sit peccatum, eod. cap. 2, n. 4 et 14; et cap. 3, n. 5.
- ARTICULUS III.
Utrum tentatio Dei opponatur virtuti religionis, eod. cap. 2, n. 4; et cap. 3, n. 5.
- ARTICULUS IV.
Utrum tentatio Dei sit gravius peccatum, quam superstitio, explicatur partim, tract. 3, lib. 2, cap. 6; partim lib. 1, cap. 3, n. 15 et 16.
- QUÆSTIO XCVIII.
De perjurio.
Relinquitur in sequens volumen.
- QUÆSTIO XCIX.
De sacrilegio.
- ARTICULUS I.
Utrum sacrilegium sit sacræ rei violatio, tract. 3, lib. 3, cap. 1.
- ARTICULUS II.
Utrum sacrilegium sit peccatum speciale, eod. lib. 3, cap. 7.
- ARTICULUS III.
Utrum species sacrilegii distinguantur secundum res sacras, eod. l., a cap. 1, usque ad 6.
- ARTICULUS IV.
De pœna sacrilegii, eod. lib., cap. 7.
- De simonia.
- ARTICULUS I.
Utrum simonia sit studiosa voluntas, etc., tract. 3, 4, cap. 1.
- ARTICULUS II.
Utrum semper sit illicitum pro Sacramentis pecuniam dare, eod. lib. 4, cap. 10 et seq.
- ARTICULUS III.
Utrum liceat dare recipere pecuniam pro spiritualibus actibus, eod. lib. 4, a cap. 15, usque ad 20.
- ARTICULUS IV.
Utrum sit licitum pecuniam accipere pro his quæ sunt spiritualibus annexa, a cap. 21, usque ad 2.
- ARTICULUS V.
Utrum liceat spiritualia dare pro munere ab obsequio, vel a lingua, eod. lib., cap. 37, usque ad 40.
- ARTICULUS VI.
Utrum sit conveniens simoniaci pœna, eod. lib. 4, a cap. 55, usque ad 61.
Alia multa in discursu illius libri tractantur, quæ tantum obiter D. Thomas attingit.
Præter has quæstiones, exponitur quæst. 13 ejusdem 2. 2. D. Thomæ, quæ est de blasphemia, in tract. 3, lib. 1, a cap. 4, usque ad finem.

OPUS DE VIRTUTE

ET STATU RELIGIONIS.

PROOEMIUM ET RATIO TOTIUS OPERIS DE RELIGIONE.

Sacra Theologia ita subtili divinarum rerum speculatione detinetur, ut humanas etiam dirigat actiones, speculatrix enim est et practica. Hinc fit ut, cum Deum tanquam objectum contempletur, non solum ejus nobis ingerat cognitionem, sed etiam modum ostendat quo cognitum debito Majestati cultu veneremur. Minus quidem laudabilis esset Theologia, si mentem illustraret, non mores dirigeret, si Divinæ Majestatis notitiam conferret, neque ad eam colendam, viam modumque ostenderet. Deum enim cognoscere, et non ut Deum honorificare, flagitium est omnium maximum, quod in antiquis philosophis Paulus reprehendit, ad Roman. 1, ut ibi Chrysostomus adnotavit; ideoque Divina Sapientia non solum mentem cognitione illustrat, sed etiam normam præfigit voluntati, qua Deum ita cognitum supremo cultu ac veneratione extollamus. Cum ergo æquum sit Theologum doctorem, Theologiam, quam profitetur, æmulari, postquam ea Dei mysteria, in quibus speculatrix Theologia præcipue versatur, pro meo captu evulgavi, non potui me amplius continere, quin ad explicanda illa descenderem, quæ nos Deo debitum cultum edocerent. Cum enim hic semper fuerit meorum laborum scopus, ut Deus ab hominibus et cognoscatur magis, et ardentius sanctiusque colatur, hoc peculiari opere id mihi perficiendum putavi, quo specialius homines ad cultum et honorem Deo exhibendum incitarem. Cum vero, teste Clemente Alexandrino, 2 Strom., *religio, cæteras virtutes superans, antiquissimam et supremam causam doceat colere et venerari*, de religione hanc institui tractationem.

Hæc præcipua causa est suscepti operis, cui accessit alia non minoris ponderis, quæ ex superiorum sumitur auctoritate, a quibus sæpe ad hoc opus aggrediendum fui excitatus; eorum autem nutum et voluntatis significationem tanquam imperium mihi suscipiendum semper existimavi. Quanquam facile illud censeatur imperium, in quod animus ipse sponte propendet, atque in hoc ita libenter voluntas ferebatur, ut calcari non indigeret. Enimvero cum tractatus de religioso statu iis sit connectendus, quæ de virtute religionis a nobis sunt explicanda, mirum non est si animus, quo se gratum exhiberet, ad illius status commendationem properaret, ad quem divina gratia ipsum evexit, et per plures annos consecravit. Sicut enim conferre gratiam bonum est, ita non referre est durissimum, ut in libro 1 de Offic. eleganter dixit Ambrosius.

Illud etiam benigno lectori attente considerandum est, multa ex his quæ ad tertiam partem D. Thomæ superioribus annis disputavimus, qualia sunt quæ de Adoratione, Sacrificio, Sacramentis, aliisque similibus in lucem dedimus, ad materiam et actus religionis vel directe spectare, vel proxime revocari; ideoque universam illam doctrinam ex hujus virtutis cognitione pendere, eique quodammodo subordinari; ac subinde tractationem hanc a superiori non discrepare, sed eam quodammodo perficere ac consummare. Jam vero quæ de Sacramento Ordinis dicenda erunt, majori quadam ratione cum virtute religionis copulantur; nam per illud sacramentum ministri divini cultus consecrantur, et a virtute religionis de actibus, quos in eo munere exercere debent, instruuntur. Denique ipsum etiam Matrimonii Sacra-

mentum cum votis, tam solemnibus quam simplicibus, quæ inter actus religionis numerantur, connexionem habet. Unde si, favente Deo, ad inceptum Sacramentorum opus aliquando revertar, expeditior erit cursus, multis in hoc opere enodatis, quæ in illo incommode permiscerentur. Quod si vita virtusque defecerit, priusquam ad illud opus animum appellam, quod video quam sit probabile, non me facti pœnitebit, ut spero, quia non sunt pœnitendæ rationes, quibus inductus, illud opus interrupti, ut hoc aggrederer.

Est ergo religio totius hujus operis scopus et objectum. Sed quia duos hoc nomen *religio* præcipuos habet significatus; alterum, quo exprimit virtutem quamdam omnibus Christianis communem, alterum, quo peculiarem significat statum eorum qui proprie religiosi appellantur, duas etiam præcipuas partes totum hoc opus continebit, quarum una virtutis, altera status cognitionem comprehendat. Quamvis enim D. Thomas 2. 2, a quæst. 81 usque ad 100, de virtute religionis disputaverit, et postea, multis interjectis, a quæst. 183, et præsertim in 186 et sequentibus, de statu disseruerit, nihilominus virtus et status religionis ita mutuo nexu copulantur, ut ad unius exactam cognitionem alterius notitia requiri videatur. Nam religiosus status et ad virtutis religionis exercitium instituitur, ideoque statui Angelorum semper laudantium et colentium Deum comparatur ab Ambrosio, et ejusdem virtutis actibus constituitur, consueta nimirum votorum emissionem, sine quibus status ille non cohæret; imo ipsam religiosæ vitæ professionem gratum Deo sacrificium S. Augustinus appellavit, et Gregorius addidit gratissimum esse Deo holocaustum. At votum, sacrificium, et divina laus actus virtutis religionis sunt; non potest ergo ille status, ab hac virtute, disputatione sejungi.

Ex dictis tamen manifeste deducitur priorem hujus operis locum virtuti esse tribuendum, quoniam ad illam, ut ad finem et efficientem causam, status religiosus refertur. In virtute autem explicanda, quem in pertractandis aliis virtutibus tenere soleo, ordinem observando. Prius enim ejus naturam, subjectum, materiam, actus, essentiam, proprietates, unitatem et distinctionem ab aliis investigabo. Gradum postea faciam ad moralem doctrinam, atque adeo tam divina quam humana præcepta ad hanc virtutem spectantia explicabo, tum ea quæ aliquid imperant, tum etiam ea quæ quippiam prohibent, et cum illis vitia omnia, quæ eidem virtuti opponuntur, recensebo et explanabo. Quanquam enim in virtutum tractatione, moralis doctrina et copiosior et præcipue intenta esse debeat, nisi tamen exacta cognitio speculatioque præcedat, non possunt fundamenta deprehendi, a quibus moralis doctrina derivatur.

Est tamen postremo loco observandum, licet hujus virtutis actus physice (ut aiunt) spectati multiplices sint, in præsentia nonnisi sub ea ratione considerari, qua cultum Deo debitum continent. Sunt tamen nonnulli actus proprii hujus virtutis, qui rationem ipsam cultus fundatam habent in quadam alia peculiari proprietate morali, ex qua nova et specialis consideratio moralis consurgit. Hi vero actus tres præcipue inveniri videntur: oratio, juramentum ac votum. Oratio enim ad impetrandum aliquid ab alio refertur; juramentum, ad confirmandam veritatem infallibili testimonio; votum ad obligandum hominem peculiari modo ratione promissionis; quæ omnes rationes sunt substratæ ad rationem cultus, et satis morales sunt, peculiareque tractatus exigunt. Quapropter prius generatim de ipsa religionis virtute, ejusque præceptis, ac vitiis illi oppositis dicam; postea vero de tribus actibus paulo antea explicatis, et aliis qui ad illos revocantur, disseram; quamvis in materia de voto, et quia copiosior, et quia valde necessaria est, longius erit immorandum. Atque de industria hunc de voto tractatum in ultimum hujus virtutis locum reservabimus, quia ex voti, ejusque naturæ consideratione, accommodato ordine ac proclivi quasi ductu, ad religiosi status considerationem transitum faciemus.

TRACTATUS PRIMUS

DE NATURA ET ESSENTIA

VIRTUTIS RELIGIONIS

IN TRES LIBROS DIVISUS.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI

DE OBJECTO ET MATERIA VIRTUTIS RELIGIONIS.

- | | |
|--|---|
| CAP. I. De etymologia et multiplici significato vocis religionis. | CAP. V. An sola religio respiciat Deum ut objectum cui. |
| CAP. II. De divisione religionis in virtutem et statum. | CAP. VI. Sub qua ratione Deus sit objectum religionis. |
| CAP. III. Quomodo Deus sub objecto virtutis religionis comprehendatur. | CAP. VII. Quenam sit materia proxima religionis. |
| CAP. IV. Sine Deus solus objectum cui virtutis religionis. | CAP. VIII. De cultu quem exercet religio. |
| | CAP. IX. De debito quod reddit religio. |

LIBER PRIMUS

DE OBJECTO ET MATERIA VIRTUTIS RELIGIONIS.

Hunc de religione tractatum in tres præcipuas partes seu libros dividemus; in primo, tam materiale quam formale objectum virtutis religionis explicabimus. In secundo, generalem doctrinam de actibus ejus trademus. In tertio virtutem quoad ejus habitum, excellentiam, seu perfectionis gradum, ac distinctionem a cæteris virtutibus exponemus. Prius vero quam ad rem ipsam accedamus, pauca de nomine religionis præmittere opportunum judicavimus.

CAPUT I.

RELIGIO UNDE DICTA SIT, ET QUOMODO SOLIUS DEI CULTUM PROPRIE SIGNIFICET, LICET AD ALIA ETIAM TRANSFERATUR.

1. Religionis significatus ex D. Augustini aliorumque sententia. — Ex Latinis Patribus

et Doctoribus, Augustinus, libro 10 de Civitate, cap. 1, quem imitatus est Jonas Aurelianensis, lib. 1 de Cultu imaginum, ante medium, religionem dixit, juxta latine loquendi consuetudinem, non imperitorum, sed doctissimorum, non significare solius Dei cultum, sed etiam officium quod hominibus cognatis et affinibus, vel alia quacumque ratione nobis conjunctis, exhibemus. Hanc tamen sententiam expendens D. Thomas 2. 2, quæstione octogesima prima, articulo primo, ad secundam, dicit Augustinum late religionis voce usum fuisse, et secundum vocis proprietatem soli Deo attributam esse, quod verum censeo, et hanc esse propriam et primævam hujus vocis significationem, non solum ex usu et accommodatione Latinorum Patrum, quod certum est, sed etiam apud Latinos auctores. Nam Cicero, lib. 2 de Inventione: *Religio*, iu-